



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CLI. Quare dici possit, Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

acceſſerunt. Vnde ad huius euidentiam ſciendum eſt, quod cum res communiter denominentur à ſuis formis, ſicut album ab albedine, & homo ab humanitate: omne illud à quo aliquid denominatur quantum ad hoc habet habitudinem formæ: Vt ſi dicam iſte eſt indutus veſtimento, iſte ablatius conſtruitur in habitudine cauſæ formalis, quamuis non ſit forma. Contingit autem aliquid denominari per id quod ab ipſo procedit, non ſolum ſicut agens actione, ſed etiam ſicut ipſo termino actionis, qui eſt effectus, quando ipſe effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim quod ignis eſt calefaciens calefactione quamuis calefactio non ſit calor qui eſt forma ignis, ſed actio ab igne procedens. Et dicimus, quod arbor eſt florens floribus: quamuis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in diuinis dupliciter ſumatur, eſſentialiter ſcilicet, & notionaliter, ſecundum quod eſſentialiter ſumitur, ſic Pater, & Filius nō diligunt ſe Spiritu ſancto, ſed eſſentia ſua. Vnde Aug. in 15. de Trinit. Quis audet dicere Patrem, nec ſe, nec Filium, nec Spiritum S. diligere, niſi per Spiritum ſanctum? Et ſecundum hoc procedunt primæ opinioniones. Secundum vero quod notionaliter ſumitur, ſic diligere nihil eſt aliud quam ſpirare amorem, ſicut dicere eſt producere verbum, & florere eſt producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens verbo vel Frio ſe & creaturam. Et Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu ſancto, vel amore procedente & ſe, & nos.

Lib. 15. de
Trinit. cap. 7.
inter prin-
cipium &
medium,
et m. 3.

In corp. art.

Ad primum ergo dicendum, quod eſſe ſapientem vel intelligentem in diuinis nō ſumitur niſi eſſentialiter. Et ideo non poteſt dici, quod Pater ſit ſapiens vel intelligens Filio. Sed diligere ſumitur non ſolum eſſentialiter, ſed etiam notionaliter. Et ſecundum hoc poſſumus dicere, quod Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, vt dictum eſt.

Ad ſecundum dicendum. quod quando in intellectu alicuius actionis importatur determinatus effectus, poteſt denominari principium actionis ab actione & ab effectu: ſicut poſſumus dicere quod arbor eſt florens floritione & floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non poteſt principium actionis denominari ab effectu, ſed ſolū ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem flore, ſed produ-

ctione floris. In hoc igitur quod dico, ſpirat vel generat, importatur actus notionalis tantum. Vnde non poſſumus dicere quod Pater ſpiret Spiritu ſancto, vel generet Filio. Poſſumus autem dicere, quod Pater dicit verbo tanquam perſona procedente, & dicit dictione tanquam actu notionali: quia dicere importat determinatam perſonam procedentem: cum dicere ſit producere verbum. Et ſimiliter diligere prout notionaliter ſumitur, eſt producere amorem. Et ideo poteſt dici, quod Pater diligit Filium Spiritu ſancto tanquam perſona procedente, & ipſa dilectione tanquam actu notionali.

Ad tertium dicendum, quod Pater non ſolum Filium, ſed etiam ſe & nos diligit Spiritu S. quia (vt dictum eſt) diligere prout notionaliter ſumitur, non ſolum importat productionem diuinæ perſonæ, ſed etiam perſonam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Vnde ſicut Pater dicit ſe & omnem creaturam verbo quod genuit, in quantum verbum genitum ſufficienter repræſentat Patrem & omnem creaturam: ita diligit ſe & omnem creaturam Spiritu ſancto, in quantum Spiritus ſanctus procedit, vt amor bonitatis primæ ſecundum quam pater amat ſe & omnem creaturam. Et ſic etiam pater quod reſpectus importatur ad creaturam & in verbo & in amore procedente quaſi ſecundario, in quantum ſcilicet bonitas & veritas diuina eſt principium intelligendi & amandi omnem creaturam.

DISPUTATIO CII.

Quare dici poſſit, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto.

Varie Scholaſticorum opinioniones. cap. 1.

Probabilior ſententia ratione S. Thomæ, Bonaventuræ, &

Thomiſtarum explicatur. cap. 2.

Vera ratio prædictæ ſententiæ. cap. 3.

Soluntur quedam oppoſitiones. cap. 4.

Quæ ratione dici poſſit, Spiritus ſanctus diligit ſe, ſe ipſum.

cap. 5.

An recte dici poſſit, Pater eſt ſapiens, vel ſapiens ſapientia

genita. cap. 6.

Quæ ratione dici non poſſit Filius ſapiens ſapientia ge-

nita, vel ingenita. cap. 7.

CAPVT I.

Varie Scholaſticorum opinioniones.

SUPponimus in hac controuerſia propoſitionem illam, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, alio quo modo dici poſſe. Sic enim loquitur Auguſtinus de Trinit. cap. 5. cuius verba retulimus diſputatione præcedenti cap. 3. Hieron. etiam in Pſalm. 17. ait, Spiritus ſanctus nec Pater nec Filius, ſed dilectio, quæm habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Bernardus in ſol. de Beatitud. amoris Dei. Amas te (inquit) amabilis Domine, cum dicitur, & Filio procedis Spiritus ſanctus amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tantus amor, vt ſu veniat. Hæc Auguſtinus de S. Tr.

probabilior sententia ratione sancti Thomae, Bonaventurae, & Thomistarum explicatur.

Communis & verior sententia est eorum, qui affirmant, hanc propositionem secundum proprietatem sermonis veram esse, si Spiritus sanctus accipitur pro tertia persona Trinitatis; dilectio vero seu amor pro actu voluntatis notionalis, quo Spiritus sanctus procedit. Eam tradit sanctus Doctor in hoc art. & cum eo Caiet. & recentiores multi Thomistae, Bonaven. in d. 32 art. 1. q. 1. & 2. Scotus q. 2. §. Ad aliam questionem, Capreolus q. 1. artic. 1. conclus. 5. & seq. Gabr. q. 2. 1. 2. conclus. 1. & Marfilus in 1. q. 14. a. 4. notatione 3. conclus. 1. & 2. tamen hic author q. 35. art. 1. opinionem, quam tertio loco retulimus, non leuiter in sinuet. Verum non omnes eodem modo hanc sententiam probant: S. Th. Caiet. & Capreol. dicunt, hanc denominationem esse veluti in ratione effectus formalis: nam agens interdum a suo effectu & termino actionis denominatur, veluti a forma: id autem magis adhuc explicat S. Thomas in corpore, & in solut. 2. cuius explanationem Caietanus & recentiores Thomistae sequuntur, hoc modo. Quoties ad conceptum actionis pertinet terminus illius determinatus & particularis, non tantum denominatur agens ab actione, verum etiam a termino in casu effectus: in quoque hac de causa dicimus, arbor floret floribus, qui sunt effectus ipsius arboris. Eodem igitur modo dicimus, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, quia est terminus determinatus & particularis, ab ipsis per dilectionem mutuam productus, & ad conceptum ipsius productionis pertinet: non tamen dicimus, Pater & Filius spirant se Spiritu sancto; tamen Spiritus sanctus sit terminus per spirationem productus: quia, ut ait S. Th. in solutione 2. spiratio solum significat ipsam emissionem: ac si diceret, non includit in suo conceptu Spiritum sanctum, ut terminum particularem, & determinate per illam productum.

Ceterum praedictam rationem explodit Scotus q. 11. 2. §. Aliiter dicitur, Durandus, & Canariensis locis citatis, hoc modo. Primum, edificare est actio, & in suo conceptu non minus includit edificium, tanquam terminum suum determinatum & particularem, quam includit dilectio notionalis Spiritum sanctum, & tamen non dicitur edificator edificio, ergo ob eam solum causam non dicebatur, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Deinde spiratio non minus includit in suo conceptu Spiritum sanctum, tanquam terminum particularem & determinatum actionis, quam dilectio notionalis: Spiritus enim inde dicitur, quia spiratur, estque determinatus & particularis terminus spirationis; quatenus spiratio est: & tamen dici nequit, Pater & Filius spirant se Spiritu sancto. Generatio quoque refertur ad Filium, ut ad proprium terminum, & tamen non dicimus, Pater generat Filio suo aliquid aliud: neque enim hae duae operationes sic significatae solum includunt processionem sine ordine ad terminum particularem, sed etiam ipsum terminum designant, & in suo conceptu includunt ergo ob illam rationem non dicuntur Pater & Filius diligere se Spiritu sancto.

V 3

Porro

de S. Victor in epistola ad Bern. sic scribit, Si velle d'aris amare amore, qui a te procedit, cur non pater & filius dicantur amare amore, qui ab ipsis procedit? Et iterum, Si Spiritus sanctus esset amor cordis tui, & Patris, & Filij, quis quaso, posset negare, Spiritu sancto, hoc est, amore tuo, te diligere? Quocirca nunc solum superest controuersia inter Scholasticos, qua ratione vere ea propositio pronuntiari possit. In hoc autem cap. more solito varias Theologorum nostrorum sententias, quae mihi non probantur, enumerabo, ut deinde in sequentibus eam, quae verior videbitur, confirmem.

Prima sententia sit, Gotsfredi Picauensis, quem referunt Bonau. Scotus & Capreol. Alferentis, in proprio sensu falsam esse propositionem eamque in simili retractasse Aug. Nam cum lib. 8. q. u. q. 2. dixisset, Patrem esse sapientem sapientia genita, postea lib. retractat. c. 26. & 6. lib. de Trinitate cap. 1. & 2. lib. 7. cap. 2. & lib. 15. cap. 7. id retractauit. Huic autem videtur similis illa, pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Gotsfredo nonnulli recentiores adherent, inter quos est Canariensis in hunc art. fatetur enim, se prius nescire eam propositionem Augustini in proprio sensu defendere.

Gotsfredi opinionem refellit optime Scotus in 1. d. 32. q. 2. §. primam questionem, tum quia nusquam hanc propositionem in expresse retractauit August. retractasset autem, sicut plures alias, si falsam esse existimasset; est autem omnino diuersa ab illa, pater est sapiens sapientia genita, ut infra cap. 6. videbimus. Quare nec in ea videtur ab Aug. retractata. Accedit, quod cum alij etiam Augustiniani, qualis fuit Bernardus, & Hugo, hanc propositionem pronuntiauerint, non est credibile, Augustinum eam retractasse. Quomodo autem in proprio sensu sit vera, perspicue inferius patebit; ex quo sententia quoque, Gotsfredi confutabitur.

Secunda opinio est eorum, qui asserunt, veram esse propositionem, si tamen Spiritus sanctus sumatur pro amore essentiali, qui appropriari solet Spiritui sancto. Hae tribuitur Alexandro Alensi, qui potius prima p. q. 47. memb. 2. in fine, & memb. 3. artic. 3. ubi huius rei aliquam facit mentionem, in proprio sensu accepto Spiritu sancto pro tertia persona, propositionem concedere videtur. Eam tamen sententiam plane tradidit Durand. in 1. d. 2. q. 1. sed cuiuscumque sit, recte illa impugnat Scotus loco citato, & Capreolus in 1. d. 32. q. 1. art. 1. conclus. 1. Bonae eadem d. art. 1. q. 1. quia si ea solum ratione propositio esset vera, eodem quoque pacto concedi posset haec, pater, & Filius sunt boni Spiritu sancto, siquidem boni sunt bonitate essentiali, quae Spiritui sancto appropriari solet.

Tertia sententia est Simonis Tornacensis, quem referunt Scotus loco allegato, Bonauentura articulo illo 1. q. 3. Capreol. q. illa prima art. 2. qui eam propositionem in hoc sensu solum concedebat, Spiritus sanctus signum est mutuae dilectionis Patris, & Filij. Impugnant vero hanc opinionem, quia eadem ratione dici posset, Pater & Filius diligunt se creaturam: nam saltem creatura rationalis signum esse potest huius mutuae dilectionis; atque ea saltem ratione confutari potest, quia sensus illi valde est improprius, & ab ipsa littera alienus: sic enim licet dicere, ignis comburit fumo, quia signum est calefactionis.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

Propter lo-
quando vera
est sumi pro
Spiritu pro
tertia perso-
na, amore
vero pro actus
voluntatis.

S. Thom.
Caiet.
Recent.
Bonavent.
Scotus.
Capreol.
Gabriel.
Marfil.
Modus pro-
bandi S.
Thomae.

Modus pro-
bandi S. Tho-
mae.

Modus pro-
bandi S. Tho-
mae.

Verbum
floreo non
significat
actionem pro-
ducendi flores
sed floridum
esse.

Porro exemplum S. Thomæ refutant hac ratione. Verbum *florete*, non significat actionem producendi flores, sed floridum esse: est enim verbum neutrum: ergo mirum non est, si dicamus, arbor *flore* floribus: & quamvis denotet etiam verbum *floreo* flores producere, vt quibusdam placet, non tam significat ipsam actionem flores producendi, quam floridum esse floribus à se productis: quæ sane denominatio non est agentis, sed in actionis, sed subiecti à forma, quam habet taliter productam. Idem de verbo *floresco*, quod significat floridum fieri. Quinimo etiam si flores ab arbore producti non essent, dici posset arbor illis *flore*, veluti ad Heb. 9. virga Aaron dicitur frondisse frondibus, non à se sed virtute Dei productis. Videtur sane eandem significationem habere verbum *floreo*, atque verbum *niteo*: quare sicut dicitur aliquis nitere auro, gemmis, & margaritis, vt in hymno dedicationis canit Ecclesia, *vortant niteo margaritis*, quæ tamen non sunt ab ipso productæ: sic arbor diceretur *flore* floribus non à se productis. Quod si verbum aliquod significaret actionem producendi ipsos flores, vt si fingamus verbum *florico*, certe non diceretur arbor *floricare* floribus.

7
Rationem
D. Thomæ
defendit
Caietan.

At Caietan, vt defendat rationem Doctoris sancti, solita subtilitate notat, bifariam actionem includere in suo conceptu terminum productum, vno modo, vt particulariter determinantem qualitatem actionis, & hoc pacto dealbario includit albedinem, & calefactio calorem: est enim dealbare, aut calefacere, ac si dicamus, facere album & calidum: quod est determinate significare qualitatem actionis, altero modo actio includit terminum in suo conceptu quasi coniunctum actioni, vt productum suo producenti: & hac ratione dilectio notionalis includit in suo conceptu Spiritum sanctum, & dictio, seu prolatio includit verbum; dictio enim est verbi prolatio. Hoc posteriori modo (inquit Caiet.) intelligendus est S. Th. loquitur enim de actionibus, quæ posteriori illo modo includunt terminum in suo conceptu; illæ autem sunt, quæ postulant alium accusatiuum præter terminum; huiusmodi est dictio, hæc enim non tantum dicimus verbum, sed etiam historiam verbo expressam, quam non respicit sicut rem productam. Talis est dilectio notionalis, quæ non tantum respicit Spiritum sanctum vt terminum productum in casu accusandi, sed etiam rem aliam, vt dilectam. In his igitur actionibus recte denominatur agens à termino productum in casu effectiuo, & ideo dicere possumus, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, & Pater dicit verbo suo, quæcunque intelligit; contra vero spiratio, & generatio priori illo modo solum includunt terminum in suo conceptu, & ideo agens non denominatur à termino in casu effectiuo. Hanc doctrinam, & explicationem mentis S. Th. desumpsisse videtur Caiet. ex Capreolo in 1. dist. 3. quaest. 1. artic. 1. ad 1. tertio loco adductum, & ad secundum etiam argumentum.

Capreolus.

Refellitur
Caietan
expositio.

Nonnulli hanc Caiet. distinctionem refellunt, quia non magis includitur in conceptu dictionis verbum productum tanquam productum coniunctum producenti, quam Spiritus in conceptu spirationis: omnis enim actio siue in genere, siue in specie considerata, ordinem habet ad suum terminum tanquam ad productum coniunctum

producenti, id quod præsertim verum est in generatione, hæc enim ita in se insecum ordinem habet ad Filium genitum, sicut dictio ad verbum; & tamen non dicimus, Pater generat Filio aliquid aliud. Denique verbum diligere non significat actionem, quæ postulat duplicem casum accusandi, non enim dicimus, saltem in creaturis, homo diligit amorem suum, & amicum; & tamen dicimus, homo diligit amicum amore suo; ergo male Caietan discrimen constituit inter illa duo genera actionum.

Alij vero propositionem illam hac ratione replicant, concedunt quidem omnem actionem ordinem habere ad suum terminum determinatum & particularem, nihilominus agens non denominari in casu effectiuo à termino cuiusvis actionis, sed id solum accidere in actionibus immanentibus, quarum terminus, sicut manet natura sua in agente, natus est denominare agens per modum formæ, ideo dicimus, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, quia dilectio est actio immanens, & ideo terminus illius, qui est Spiritus sanctus, denominat ipsum operans per modum formæ in casu effectiuo, at vero in actionibus transeuntibus, vel quæ significantur vt transeuntibus, talem denominationem non fieri; & quia generatio, & spiratio significantur vt actiones transeuntibus, licet reuera in Deo sint immanentes; ideo dicunt à terminis earum non denominari in effectiuo principium operans, & proinde non posse dici, Pater generat Filio, vel Spiritus sancto.

Ego sane non dubito in aliquibus immanentibus actionibus talem determinationem à termino fieri, non tamen e ratione, idem enim accidit in aliquibus quoque transeuntibus, vt cum dicimus, ignis calefacit lignum, aut comburit calore, tum etiam in omnibus immanentibus talis denominatio non contingit, nam spiratio, & generatio in Deo sunt immanentes, & tamen in illis non fit talis denominatio.

Ad dicunt prædicti Theologi, has actiones in Deo esse quidem immanentes, significant tamen vt transeuntibus, non alia ratione, nisi quia in rebus creatis sunt transeuntibus, quæ eisdem nominibus significantur; quod certe negare non possumus. Ceterum cum in diuinis concipiuntur à nobis vt immanentes, id satis videbatur, vt addito termino diuino fieret prædicta denominatio. Quod si id non satis videatur eo quod nomina communia sint transeuntibus, & immanentibus operationibus; saltem vt fiat talis denominatio, necesse est, non solum actionem ipsam significari vt immanentem, sed etiam terminum ipsum; imo terminus potissime debet significari vt immanens, qui concipitur veluti forma denominans, atqui in ea propositione, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, non significatur vt terminus immanens, sicut enim nomine spiratio significatur operatio voluntatis Dei vt transeuntis; eodem modo nomine spiritus terminus ipse, qui est amor productus, significatur, ergo quamvis dicere possemus, Pater & Filius diligunt se amore productum ab rebus, non tamen, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Nam Spiritus sanctus significatur, vt quid extra productum, & ita non vt forma intrinsece denominans.

Respondere quis posset hoc modo, etiam si spiritus significetur vt terminus extra productus, quia

quia tamen coniungitur verbo, *diligunt*, quod significat immanentem actionem, ideo determinatur & restringitur, ut veluti immanens forma concipiatur. Verum, si hoc satis esset, cur non etiam sufficeret addere terminum aliquem diuinum, ut iam operatio spirandi ut immanens conciperetur cum suo termino? Vel saltem cur non sufficeret ex parte termini ponere nomen significans aliquid immanens, etiamsi verbum denotaret operationem transeuntem, ut talis fieri posset denominatio hoc modo, *Pater & verbum spirans seipsum amore suo*? Cum enim denominatio non sit ab operatione, sed à termino, & hic significetur terminus ut manens in producente, id videtur satis, ut ab eo denominatio illa in casu effectiuo proveniat, & significationem verbi modificetur, ut denotet immanentem: sed nemo dicere audebit, *Pater & filius spirans se amore suo*: ergo alia ratio reddenda est.

Horum quoque sententia accedit ad modum loquendi, quem aliquando securus Aug. dixit, *pater est sapiens sapientia genita*; postea tamen retractavit, ut videbimus cap. 6. siquidem hi Doctores concedunt, cum dicimus, *pater dicit verbo*, vel *pater & filius diligunt se Spiritu sancto*, denominationem illam à termino actionis provenire, veluti à forma: sic enim etiam dicere liceret, *Pater est sapiens sapientia genita*, hæc enim est veluti formalis denominatio.

CAPVT III.

Vera ratio prædictæ sententiæ.

Multo facilius ratio prædictæ sententiæ & propositionis reddi potest, quæ non tantum in præfati, sed in ceteris locum etiam habere potest. Eius autem gratia præmittendum est duo esse genera actionum & operationum, sine in genere, sine in specie denotentur: quædam significantur sub respectu solum ad terminum, quem producant, ut generare, spirare, producere & efficere: alæ vero cum duplici ordine, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam, non quidem productam, sed ad rem modum obiecti, aut per modum subiecti se habentem. Harum vero quædam sunt transeuntes, ut calefactio, transmutatio: quædam immanentes & vitales operationes, ut dictio, dilectio, intellectio. In actionibus prioris generis non fit denominatio à termino productum in casu effectiuo, & ideo non dicimus, *pater generat filio se*, aut aliquid aliud, nec *spirat Spiritu sancto*. Ratio vero est manifesta, nam si in his operationibus fieret denominatio huiusmodi, necesse erat, eas significari sub ordine ad aliquid aliud, quam ad terminum: nam cum dicimus, *pater generat filio*, significamus generationem ad aliquid aliud ordinari: sensus enim est, *pater generat filio se, aut aliquid aliud*. Quod si hæc actiones & operationes nihil aliud præter terminum suum respiciunt, non potest operans in casu effectiuo à termino productum denominari, cum nihil superest, quod operans denominatione illa respiciat.

Contra vero in operationibus posterioris generis, cum alter respectus significetur vel ad subiectum, vel ad obiectum, cum quibus verbum has actiones significans constituitur in casu accusandi, optime fieri potest denominatio à termino productum in casu effectiuo; atque idcirco recte dici-

mus, *ignis comburit, aut calefacit calore*, non tantum calore, quem in se habet: sed etiam eo, quem in subiecto producit: dicimus etiam dealbare parietem albedine in ipso producta. Hæc namque actiones non solum significantur sub respectu ad terminum productum, sed etiam sub respectu ad subiectum, in quo inducunt terminum productum veluti formam illius. Idem cōtingit in actionibus, quæ significantur cum ordine ad obiectum, quæ de causa dicimus, *pater intelligit*, seu dicit verbo suo, quia intellectio patris, quæ notionalis est, præter respectum ad filium tanquam ad verbum, significatur cum ordine etiam ad obiecta dicta & intellecta: ergo cum eadem operatio & productio filij Dei per intellectum diuersis vocibus significetur, mirum non est, si aliquando fiat illa denominatio à termino, aliquando vero non fiat: cum diuerso modo eadem operatio significetur. Quocirca licet non dicamus, *pater generat aliquid aliud filio*, dicimus tamen, *pater intelligit & dicit aliquid aliud filio*.

Hinc manifeste patet, quare recte dicamus, *pater & filius diligunt se Spiritu sancto*; cum tamen dici nequeat, *pater & filius spirant se Spiritu sancto*. Eadem enim operatio diuinæ voluntatis priori modo præter respectum ad terminum productum significatur cum ordine etiam ad obiecta; pater autem & filius sunt obiecta diuinæ amoris: posteriori autem modo significatur cum solo ordine ad terminum productum. Concludamus igitur cum Scoto loco citato, ex quo hæc ratio manifeste colligitur, quæ admodum in Deo dilectio ordinem habet non tantum ad terminum productum, sed etiam ad rem amatam; & dictio aut intellectio etiam ad rem dictam seu intellectam; eodem modo amor ipse productus per dilectionem respicit rem dilectam, & verbum rem dictam: ideoque denominant agentia in casu effectiuo per respectum ad rem intellectam vel amatam.

CAPVT IV.

Soluantur quædam oppositiones.

Hanc communem sententiam impugnatur Dur. in 1. d. 32. q. 1. nu. 10. nititurque probare, non posse ueram esse illam propositionem, *pater & filius diligunt se Spiritu sancto*, hac ratione. Vel intelligitur de notionali, vel de essentiali dilectione: de essentiali vera esse nequit, nam sicut hæc dilectio non habet ordinem ad Spiritum sanctum, sic etiam de ipsa potest dici, *pater & filius diligunt se Spiritu sancto*; id quod sine controuersia omnes fatentur: sed neque vera esse potest, si de notionali dilectione intelligatur; quia nihil notionale includit illud, quod commune est omni personæ: atqui habere respectum rationis ad aliquem ut dilectum, est commune cuius personæ; omnis enim persona diligit aliam personam, ceteraque creaturæ: ergo talis respectus non potest includi in actu notionali: quo fit ut illa propositio ratione talis respectus vera esse non possit. Deinde licet talis respectus rationis includeretur in actu notionali: quia tamen actus notionalis esse nequit, neque intelligi sine respectu ad rem productam, sequitur non posse respicere aliud, quam rem productam: pater autem & filius non producuntur dilectione; ergo dilectio notionalis in illos ferri non potest.

Hæc Durandi argumenta falso nituntur fundamentum.

minati à termino productum in casu effectiuo.

Amplius declaratur.

Argumentum Durandi contra rationem factam.

16.
Solutur ra-
tio Durandi.

damento à nobis iam confutato *disp. 111. c. 2. n.* mirum actus notionalis non esse operationes intellectus, & voluntatis: sic enim manifeste sequeretur, nullum in illis includi respectum ad aliquid aliud, quam ad personam productam. Idem omnino sequeretur, si vera esset aliorum sententia, quam disputat. *112. etiam impugnauimus*, qui quamuis dicant actus notionales esse operationes voluntatis, & intellectus, addunt tamen, illas non esse intelligere, & diligere formaliter, ne has operationes in notionalibus includi. Sed quia, ut ibidem explicatum est, intellectio in dictione, & dilectio in spiratione formaliter includitur, addita tamen relatione productionis; necessario fit, ut actus notionalis ratione essentialis, quem includit in se, & quem relatione sua modo peculiari determinat, & modificatur, in res alias, quam in terminum productum feratur. Vnde etiam prouenit, ut actus notionalis ratione essentialis, quem continet, super ipsum principium reflecti possit. Sed quia, cum additur terminus in casu effectiuo denotatur actio notionalis peculiari illo modo modificas essentialis, non potest cuius personæ conuenire, sed illi tantum, quæ est principium illius; ideo non dicemus, Spiritus sanctus diligit se seipso; sicut dicimus, pater, & filius diligunt se Spiritu sancto. Hæc doctrina colligi videtur ex *Bona. in 2. disp. 32. a. 1. q. 1. ad penult. argum.* ex qua plene satisficit argumentis Durandi.

Bona. in 2. disp. 32. a. 1. q. 1. ad penult. argum.

17.

Solutur.

Pater, & Filius simul producant Spiritum sanctum, & diligunt ipsum.

Alij vero sic obiciunt, quamuis actus notionalis dicendi significatus hac voce, *dictio*, ordinem habeat ad res dictas medio verbo: tamen dilectio notionalis proxime respicit res dilectas, non medio amore producto: quin potius prius origine dilectione notionali, ut origine & operatione, diliguntur res à Patre, & Filio, quam Spiritus sanctus producat. Ego vero hanc differentiam inter dilectionem, & dictionem intelligere nequeo: sicut enim dictio non prius fertur in res dictas, quam in verbum, sed simul producit verbum dicendo. Itad, & in eo ut in termino actionis dicendo. cetera simul, quæ ad illius productionem per se conducunt: cur non idem de dilectione dicendum est, ut eadem simul dilectione producat Spiritus, neque prius intelligatur productio Spiritus sancti terminata ad res alias dilectas, quam ad ipsum Spiritum sanctum, qui simul est res dilecta & producta? Simul igitur Pater & Filius diligendo Spiritum sanctum producant, & producendo diligant ipsum, & in eo, ut in termino suæ dilectionis, res alias, quæ sunt illius productione per se comparantur. Et hac ratione in casu effectiuo fit illa denominatio: quia in termino producto includitur etiam ille spectus ad res alias dilectas, ut supra explicatum est.

CAPVT V.

Qua ratione dici possit, Spiritus sanctus diligit se, seipso.

18.
Spiritus s. se diligit amore essentiali non tamen notionali.

Nonnulli Thomistæ noluerunt concedere hanc propositionem, *Spiritus sanctus diligit se seipso*, tum quia denominatio illa in casu effectiuo tribui non potest Spiritui sancto tanquam termino producto per operationem, neque enim à seipso productus est; neque tanquam principio, quia principium dilectionis in Spiritu sancto est sua essentia, seu voluntas; ergo, quamuis dicere

ARTIC. II.

possemus, diligit se sua essentia, aut sua voluntate: tamen dici non potest, diligit se seipso. Placuit enim S. Th. hilominus doctrina S. Th. in 1. d. qu. 1. a. 2. ad. vii. *et Maslij in 1. qu. 35. a. proposit. 4.* post coactionem respondentem questionem, qui putant distinctionem esse. Aut enim sermo est de notionali dilectione, & propositio negari debet, quia hæc dilectio non conuenit Spiritui sancto, ut omnibus compertum est: aut sermo est de essentiali, & concedenda est: tunc autem casus effectiuus, *seipso*, non denotat principium quo, quale est essentia, seu voluntas: sed principium, quod, nimirum personam: sic enim dicere consueuimus, Petrus intelligit aut fecit hoc vel illud seipso.

Addit deinde S. Th. si ab actu dilectionis notionalis separaremus ordinem & relationem originis, ita ut sola remaneat dilectio secundum rationem dilectionis, dici optime posse, Spiritum sanctum se diligere dilectione non tantum essentiali, sed etiam personali. Ego vero non video, quo pacto ablata relatione originis manere posset dilectio, quæ non esset essentialis, quæ quamuis personæ Spiritus sancti conueniret, communis nihilominus omnibus esset. Quod Spiritus sanctus peculiari ratione dicitur amor, hoc solum contingit ratione relationis amoris producti: cumque verbum, diligere, ex se potius significet operationem voluntatis communem, & communiter non usurpatur pro notionali nisi aliquid addatur, absque vlla distinctione dici potest, Spiritus sanctus diligit seipso.

CAPVT IV.

An recte dici possit, Pater est sapiens, vel sapiens sapientia genita.

Existimauit aliquando Augustinus hanc propositionem veram esse, *pater est sapiens sapientia genita*, hoc est, filio. Ita docuit libro 83. *quæstio. 23.* sed postea melius sentiens sententiam mutauit 1. libr. retract. cap. 20. & aliis locis à nobis allegatis *disp. 142. cap. 11.* Eius retractationem merito amplectuntur Scholastici S. Th. in 1. d. 32. *quæst. 2. art. 1.* Bonau. art. 2. qu. 1. *Sicut qu. 2. §. ad secundam quæstionem, Capreolus qu. 1. art. 2. Gabriel qu. 1.* qui omnes cum concedant illam propositionem, de qua hæcenus disputatum est, *pater dicit se, & creaturas verbo suo*, hanc tamen, *pater est sapiens sapientia genita*; omnino negant. Eorum ratio est, quia cum, dicere, significet productionem; & sapientia genita, seu verbum sit terminus illius; verbi ter, qui est principium huius dictionis, & verbi recte potest denominari à verbo in casu effectiuo, iuxta ea, quæ paulo ante tradita sunt: at vero cum dicimus, esse sapientem, non significamus actionem, sed effectum formalem sapientie; quare cum Deus Pater sit sapiens sua essentia, non autem filio tanquam formas dici non potest, pater est sapiens sapientia genita.

Ceterum an dici possit, *pater sapiens sapientia genita*, videtur eadem ratio: nam verbum, *sapiens*, non est actum formalem, sed operationem significat. Nihilominus Scotus loco citato, & Gab. *quæst. 11. prima a. 3.* in fine negat hanc propositionem; quia sapere, sicut etiam intelligere, sumitur essentialiter: actus autem essentialis non respicit personam productam; quare ab illa persona, quæ dicitur intelligere & sapere, tanquam à termino actionis

neque vero denominari potest tanquam à principio: constat enim, sapientiam genitam non esse patri principium sapiendi & intelligendi: ergo nullo modo fieri potest talis denominatio. Dicit aliquis sapientiam genitam comparari cum patre sicut principium (vt aiunt) sub authoritativum: qua ratione concedit Magister in 1. dist. illa 32. hanc propositionem, *Pater creauit omnia verbo suo*. Nihilominus hac ratione propositio illa prior concedi non potest; nam ideo dicitur pater creasse omnia verbo suo, quia ratio ideæ appropriatur filio, vt infra q. 45. in notationibus art. 6. dicemus; eo quod sit per intellectum, non quia reuera sit proprium illius esse loco ideæ: nam omnes personæ Trinitatis æque conueniunt ad productionem creaturarum.

Verum Scotus & Gabr. concedunt hanc propositionem, *pater intelligit, aut sapit in verbo suo*, sicut etiam dicitur sapere aut intelligere in essentia sua: creaturas enim (quæ habent rationem secundarij obiecti) dicitur pater intelligere in primatio obiecto suo, quod est verbum: nam & verbum patri creaturas representare, probatum manet disput. 144. cap. 2.

Ego vero non video, cur concedi non possit illa propositio, *pater intelligit & sapit verbo*: hæc namque duo verba actionem significant, non effectum formalem: & quamuis essentialē operationem denotent, vturpam tamen possunt pro notionali: ergo sicut dicimus, pater dicit verbo suo, sic etiam dicere possumus, pater intelligit & sapit verbo suo, quod est nata sapientia. At vero dici nequit, *pater est sapiens sapientia genita*, quia denotatur eo modo loquendi effectus formalis, vt supra dicebamus. Et quidem ego nullam differētiā, aut nullius sane momenti, inuenio inter hæc duo, in verbo suo. & siue præpositione, verbo suo: vtroque autem modo loqui licet, quia verbum est terminus operationis notionalis, vt explicatum est.

CAPVT VII.

Qua ratione dici non possit filius sapiens sapientia genita vel ingenta.

Hanc propositionem tractant S. Tho. in 1. d. 37. q. 2. art. 2. Gabr. q. 1. art. 1. & 2. Durand. quest. 2. & Capreolus loco citato: & pro illius explicatione S. Thomas & Capreolus notant, has duas propositiones a & per causam significare, ita & præpositio a genus causæ efficientis magis communiter denotet; sed præpositio per omne genus indistinctum significet: cumque in diuinis sit veluti genus causæ efficientis, nempe principium originis; quoties vtitur hac præpositione a originem denotare videtur. Est etiam genus causæ formalis, sola tamen nostra consideratione, qua aliquid tanquam formam in Deo apprehendimus, & aliud veluti effectum illius, quod genus causæ præpositione illa, per, possemus significare.

Hoc supposito primum docet sanctus Thomas Durandus, & Capreolus huius propositionis, *Filius est sapiens sapientia genita*, posse esse duplicem sensum: nam si ablatiuus denotet ordinem originis, & genus a sapientia genita. Est autem hoc modo falsa propositio, filius enim non habet à sapientia genita, hoc est, à se antequam à principio per originem esse

sapientem, vt manifestum est: contra vero eodem sensu dicere possemus, *Filius est sapiens sapientia ingenita*, hoc est, à sapientia ingenita, vel, per sapientiam ingenitam, qua est pater, habet esse sapientem, ab eo namque per originem accipit sapientiam, &c. Si vero ablatiuus, *sapientia genita* denotet ordinem, seu habitudinem quasi causæ formalis, adhuc falsa est propositio, *Filius est sapiens sapientia genita*; eo quod sapientia, qua est sapiens, est ipsa essentia, hæc autem non est genita. Quare potius dicemus etiam in hoc sensu, *Filius est sapiens sapientia ingenita*: vel per sapientiam ingenitam, nam & præpositio per, causam veluti formalem denotare potest, vel denique tertio ablatiuus ille, *genita sapientia*, denotare potest ordinem quasi causæ subiectiue & materialis, sicut cum dicimus, homo seipso intelligit, seipso est sapiens, vel per seipsum, & hoc modo concedi posset propositio, *filius est sapiens sapientia genita*. Est enim seipso sapiens, ipse autem est genita sapientia, quamuis hic modus loquendi, vt notauit Durandus, valde impropius sit.

Addit vltimo Gabr. ex eadem doctrina, partem æternam dici posse aliquo modo sapientem sapientia ingenita, vel per sapientiam ingenitam, secundum, & tertio modo explicatis, non tamen esse sapientem vel à sapientia ingenita, quia à nullo accipit per originem esse sapientem, vel sapientia seu per sapientiam genitam, quia nullo modo per filium sapiens est.

DIS PVT. CLII.

An Pater & Filius diligant creaturas Spiritu sancto.

prior Scholasticorum opinio. cap. 1.

paterem, & Filium vere dicendos esse diligere creaturas Spiritu sancto, probabilior opinio fert. cap. 2.

CAPVT I.

Prior Scholasticorum opinio.

Non desunt, qui hanc propositionem, *Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto*, falsam esse asseruerent, et si præcedentem veram esse concedant: præcedens namque, de qua nobis proxime fuit controuersia, est Aug. & aliorum patrum, vt notatum est: hanc autem propositionem apud Patres non inuenimus, sed ab aliquibus tantum Scholasticis tradita videtur. Scotus igitur in 1. dist. 32. q. 2. ad vlt. arbitratu falsam esse hanc propositionem hac ratione. Amor, quo pater & filius dici possunt diligere creaturas Spiritu sancto, siue dubio est notionalis: namque de essentiali controuersia non est; sed neque de notionali vera esse potest propositio, eo, quod hic amor solum dicitur esse illius obiecti, quod vt primum & per se respicit, aut saltem quod necessario comitatur primum, creatura autem nec sunt obiectum primum notionalis dilectionis, nec comitantur necessario primum obiectum, quod est essentia Dei, quia contingenter & libere diliguntur, ergo dilectio notionalis non dicitur esse creaturarum, quia tamen pater & filius necessario comitantur essentiam, quæ est primum obiectum, ideo non solum dicuntur notionali dilectione essentiam diligere, verum etiam se ipsos.

Hæc